



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

Bucer, Martin

Genevae, 1613

De reliquiis peccati Originalis 5

urn:nbn:de:hbz:466:1-34315

sibi ipsi contrarius non est, nec Math. ult. ubi iubet baptizatos docere omnia quæ præcepisset. Doctrina igitur libri mandato huic non est contraria, Particulam (Tantum) Aduersarij in libro Reformationis non legerunt, sed de suo confinxerunt, nulla alia causa impulsus, quàm insatiabili cupiditate cuncta quæ in hoc libro continentur, peruertendi ac deprauandi.

Porro quod ex sexto cap. Epistolæ ad Hebræos adducunt, ad probandum, quod prædicatio pœnitentiæ impiis potius & inchoantibus in fide fieri debeat, quàm fidelibus, cuius Christiano perspicuum est, quàm infirmum id sit, & omni carens fundamento. Eo enim in loco fides & resurrectio primæ doctrinæ annumerantur. At quinam fidelium tam profecti sunt, ut amplius necesse non habeant, fidem & expectationem resurrectionis in animis eorum confirmari? Cùm igitur non possimus in noua vitâ promouere, nisi præteritæ nos pœniteat, neque ut docuit nos Dominus, quotidianarum offensarum remissionem petere, nisi nos earum ex animo pœniteat, quis non videt, pœnitentiam omnium eorum quæ Deo in nobis displicent, in fidelibus & vrgendam & confirmandam esse? In quem verò id finem? Ut tantò maiori studio in obedientiam Christi se tradant, ad viuendum ipsi, ut vicissim viuat in eis, doceatque eos seruare omnia, quæ præcepit.

Postremò dictum Ambrosij in cap. 12. Rom. sc. Per bonam vitam certam fidei nostræ spem obtineri, in lingua sua obtinuerunt, Nos per bonam vitam spem fidei assequi & comparare posse. Obtinere enim hoc loco non est assequi & comparare, sed tenere & conseruare. Spem fidei consequimur, sicut & fidem ipsam per virtutem spiritus Sancti, non per bonam vitam, quam ex fide & spe fidei profluere ac promanare necesse est. Quando autem fructus fidei sequuntur, pia sc. vita, & spiritus operans in cordibus nostris, tunc obtinemus spem, eamque in nobis confirmamus, quemadmodum docet Petrus, cùm inquit, *Date operam fratres, ut vocationem & electionem vestram firmam efficiatis. Vbi enim contra conscientiam peccatur, ibi fidem ac spem concidere necesse est.*

De Reliquiis Peccati Originalis.

CAP. V.



Hoc loco reprehendunt Aduersarij, quod in libro Reformationis docetur, innatam ad peccatum inclinationem reuera peccatum esse, & præuaricationem legis diuinæ. Cùm Originalis Concupiscentiæ fomes (ut ipsi docent) propriè peccatum non sit, sed infirmitas quædam, ac potius boni causa quàm mali.

Responsio.

In hac disputatione primum omnium veritatis fundamentum ponendum est: deinde ad loca scripturæ ab Aduersariis adducta, aliæque argumenta respondendum.

Funda-

Fundamentum S. Scripturae, demonstrans reliquam in nobis rebellionem contra legem diuinam, merito peccatum & dicendum & iudicandum esse.

Insitam à natura, & post Baptismum relictam rebellionem contra Deum, quam omnes Sancti, dum adhuc carne ista circundati sunt, & in mundo versantur, experiuntur atque deplorant: qua non bonum quod volunt, sed malum quod nolunt, faciunt, Rom. 7. hanc inquam auersionem à Deo, & rebellionem contra bonam ipsius voluntatem Spiritus S. saepenumero per Paulum peccati nomine appellat, idque simpliciter nulla conditione adiuncta, ac prohibet ne concupiscentiis illius locum demus, vocans eam legem in membris, repugnantem legi mentis, & captiuos reddentem sanctos legi peccati, hoc est, sibi ipsi. Vnde & D. Paulus cum de hoc peccato quaritur, exclamat, *Miser ego homo, quis me eripiet ex hoc corpore mortis obnoxio?* Et Rom. 8. Galat. 6. Ephes. 4. Col. 3. *præcipit Spiritus Sanctus, ut hunc morbum in nobis crucifigamus, mortificemus, & exuamus, cum ita scribit, Quod si Spiritu facta corporis mortificetis, uiuetis. Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt unà cum affectibus & concupiscentiis suis.* Item, *Deponere oportet iuxta priorem conuersationem veterem hominem, qui corrumpitur iuxta concupiscentias erroris. Mortificate membra uestra terrestria, stuprum, immundiciem, molliciem, &c. Exiite veterem hominem cum factis suis.*

Hæc omnia conqueritur Sp. S. de Originali, & post Baptismum relictam ad malum propensione, & auersione à Deo, rebellionemque contra voluntatem Dei, quæ in nobis inhæret, quandiu uiuimus in hoc mundo. Quæcunque igitur deponenda, crucifigenda & mortificanda sunt, si quidem uiuere, nō autem in morte ac summa miseria permanere uelimus, quid illa aliud sunt, quàm peccatum & iniustitia? Peccatum enim est, quicquid in nobis legi diuinæ repugnat. At manifestum est, hoc malum, ut testatur Apostolus, aduersari legi diuinæ. *Non concupisces, hominēque sibi ipsi captiuum reddere ad peccatum.* Hæ causæ cum Spiritui S. satis graues uisæ sint, propter quas hoc malum peccati nomine appellaret, merito debuerunt, etiam libro Reformationis sufficere, ut unà cum Spiritu S. istam contra Deum rebellionem cum omnibus inordinatis ac uitijs affectibus suis peccatum, ac ueram legis diuinæ transgressionem uocaret, doceretque insuper, hoc peccatum non paruipendendum, ut & redemptio facta per mortem Christi maiori in precio habeatur, & studiosius ardentiusque ab hominibus suscipiatur. Qui morte ac passione sua misericordiam & dilectionem Dei nobis recuperauit, & S. Baptismate donat, ut hoc peccatum, si quidem affectibus & concupiscentiis eius non consentiamus ac locum demus, condemnare nullo modo nos possit. Tum ut homines tantò diligentius corpus peccati, ac veterem hominem crucifigant, & exuant: nouum uerò quotidie induant, magisque ac magis sibi confirment.

Solutio contrariorum argumentorum.

Hanc doctrinam conatur Aduersarij probare non esse piam, sed merito Christi, & S. Baptismati contumeliosam, hominum vero salutis perniciosam & noxiam. Quapropter multa & Patrum & sacrosanctæ scripturæ loca adducunt, quasi cum hac nostra doctrina pugnent. Ad hæc igitur non nihil respondendum est.

Locorum S. Scripturæ quæ citant primus est. Ephes. 5. vbi dicitur: *Christum Dominum baptizatos sanctificare, & mundare per lauacrum aque in verbo vite, ut exhibeat ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, &c.* Hunc locum non bona fide allegant Aduersarij, sic enim se habet: Christus mundauit Ecclesiam suam lauacro aquæ per verbum, ut adhiberet eam sibi ipsi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam aut quicquam eiusmodi, sed ut esset sancta & irreprehensibilis. Ut adhiberet, inquit, Apostolos, non exhiberet continuò. Vniuersam enim baptizatorum sanctificationem operatur Dominus in suis, quandiu in hoc mundo viuunt: perficit vero tum demum, cum eos ex hac vita vocat ad vitam caelestem. Ibi enim iam primum fit Ecclesia Christi tota gloriosa, & absteruntur ab ea omnes maculæ & rugæ. In eandem sententiam interpretantur hunc locum D. Augustinus, & alij Patres.

Ioan. 13. Eodem modo intelligenda sunt, & verba Domini, *Vos mundi estis.*

2. Cor. 6. Item Apostoli, *Abluti estis, sanctificati estis, &c.* Quæ & ipsa ab Aduersariis citata sunt. Dominus enim ipse quamuis de discipulis suis affirmabat quod mundi essent, pedum tamen lotionem adhuc ab eis requirebat. Sicut Paulus quotidianam mundationem, & sanctificationem spiritus, quam nos perficere iubet. 2. Cor. 7. Ad quam hortatur vbique.

Porro cum Aduersarij D. Augustinum, & alios S. Patres adducunt, docentes, istam naturæ nostræ infirmitatem, & rebellionem contra Deum in baptizatis non amplius esse peccatum, fat sciunt, quo sensu istam naturæ prauitatem ac peruersionem in Sanctis Peccatum vel non peccatum dicant. Si enim per peccatum intelligamus, Hominem contra legem diuinam ad reatum condemnationis libera voluntate proprijs vel cogitationibus, vel dictis & factis peccare: certè hoc modo morbus atque infirmitas nostræ naturæ peccatum non est: neque enim propria est ac libera transgressio, admissa proprijs cogitationibus, dictis aut factis, sed insita quædam à natura peruersitas. Ad hæc reatus istius mali condonatur in S. Baptismate per misericordiam Dei, iustitiæque Christi, qua in S. Lauacro induimur, obtegimur, sicut & ipsum quoque malum debilitatur.

Si vero per peccatum intelligamus, quicquid in nobis legis diuinæ repugnat, & iamque Dei in nos prouocat, denique & diuina societate nos priuandi virtutem in se habet, nisi Christus Dominus pro nobis intercederet, ac deum hoc morbo penitus nos liberaret, in qua significatione Spiritus Sanctus hac voce vitur Rom. 6. & 7. negari certè non potest, hanc naturæ peruersitatem, ac fomitem mali, qui inde-

indefinenter in nobis diuinæ voluntati repugnat, rectè ac propriè peccatum dici, sed tale quod ab ipsa origine unà cum natura concipitur; non autem Actuale, cuius, vt Dauid & Paulus fecerunt, perpetuam pœnitentiæ agere, iique deplorare per totam vitam debemus, clamantes cum Paulo, Miseri nos, quis liberabit nos de corpore mortis? Quandiu enim hic Morbus nobis adhæret, tandiu horrenda laboramus ignorantia, incredulitate ac segnicie ad omne bonum, labimur perpetuò, & multis ac variis modis transgredimur legem Dei, caròque nostra & sanguis regnum Dei hæreditare non possant. De hoc igitur meritò dolere, & cum omnibus sanctis atque doctis ingemiscere debemus, summisque votis desiderare, vt semel hac miseria liberati, ac veteri Adamo exuti, Christo Domino induamur, nouaque regeneratio, in S. Baptismate inchoata, in nobis tandem penitus perficiatur. Iam igitur videant omnes pij, an aliquid in hac doctrina insit, quod vel cū scripturis, vel cum Christianismo minus consentiat? In quo discrepat à nobis D. Augustinus, in quo & alij quoque Patres.

Quod verò D. Augustinus interdum dicit, Morbum hunc non esse peccatum, vt contra duas Epistolas Pelagianorum ad Bonifacium lib. 2. cap. 3. ipse statim explicat, quomodo vocabulum peccati vsurpet, nēpe pro eo quod secundum carnis concupiscentiam vel ignorantiam illicitè fit, dicitur, aut cogitatur. Qua ratione hic morbus peccatum non est. Cum hac expositione concordat & liber Reformationis. Sic contra Iulianum lib. 2. scribit, *morbum hunc non ideo peccatum appellari, quòd reos nos constituat, sed quòd ex reatu primi hominis ad nos perueniat, coneturque nos per rebellionem reo efficere.* Et lib. 5. contra eundem cap. 1. scribit, *Concupiscentiam carnis aduersus quam bonus spiritus concupiscit, peccatum esse, quia illi inest obedientia contra dominatum mentis.* At dicunt Aduersarij: Augustinus non dicit inobedientiam hanc esse peccatum, sed potius exercitium & incitamentum ad bonum. Sed dicit morbum hunc esse peccatum propter inobedientiam: inobedientiam verò cum D. Ambrosio fatetur esse iniquitatem, contra Iul. lib. 2. Porro peccatum, vt inquit Ioannes, iniquitas est: sicut & è contra iniquitas peccatum. Quamuis interdum Dominus dat, vt prauis inclinationibus & affectibus istis tam benè vtamur, vt ex illis alacriores ac magis excitati reddamur ad precandum, humiliandamque & subigendam carnem nostram.

Ex his igitur perspicuum est, librum Reformationis quò ad hanc materiam, nihil docere, quod cum D. Augustino, aliisque sanctis Patribus pugnet. Aliud enim est Mali fomes ac deprauatio morbusque natura, quem Dominus in S. Baptismate curandum suscepit, nondum verò ad plenam ac perfectam sanitatem perduxit.

Aliud sunt prauæ & inordinatæ cupiditates, quæ ex naturæ corruptione, etiam contra hominis voluntatem nascuntur, ac pullulant. De quibus Apostolus Paulus loquitur, cum inquit, se facere malum, quod non vult. Aliud item est mala cogitare, dicere, vel re ipsa proficere. Ea enim tum demum sequuntur, cum homo prauis innatæ peruersita-

tis motibus & affectionibus locum dat, non autem summis viribus reluctatur. Per hanc doctrinam, quæ ipsius Domini est, nihil nec merito eius, nec S. Baptismati, in quo meritum illud nobis donatur & applicatur, adimitur, imò potius meritum Domini nostri Iesu Christi, & facer Baptismus magis commendantur & celebrantur, cum agnoscimus, summam istam contra Deum rebellionem propter meritum Domini nostri Iesu Christi, in S. Baptismate nobis communicatum, in reatum atque communionem nobis non imputari.

Verba Aduersarium. Porro quòd scribunt Aduersarij: Quo tandem ista eorum doctrina, qui librum Reformationis composuerunt, aliò poterit spectare, aut pertinere, quàm vt homines securi & negligentes reddantur? Enim uerò cum audiunt, manere in ipsis peccatum post Baptismum tam verè quàm antè: Item quòd propter illud ipsum aduersus decalogum præceptorum incessanter peccent, etiamsi non accedat ei voluntas, quid poterunt secum cogitare aliud, quàm perinde esse, obtemperent concupiscentiæ vel non, &c. Hæc ex cæco quodam affectu potius, quàm vero aliquo S. scripturæ fundamento, aut saltem rationabili causa scripta esse, quis non videt? Quomodo enim quis ægrotum securum ac valetudinis suæ negligentem, reddat, vt nec de medico, nec de sanitate recuperanda curet, si quanto in periculo versetur, quàmque debilitatum atque corruptum sit totum eius corpus, ipsi exponat: adèd vt nisi Medico per omnia obtemperet, eamque quam illi præscribit, diætam ac victus rationem sequatur, denique cupiditatibus morbi fortiter resistat, fieri non possit, vt pristinam valetudinem recuperet, vel vllam naturalem actionem deinceps libere ac sine impedimento obire commodè possit. Contrà si Medici consiliis obtemperet, fore vt quàm citissimè insignem morbi relaxationem sensurus sit, ac multas tolerabiles naturæ actiones, experturus, denique pristinam valetudinem plenissimè recuperaturus?

Iam quòd ad eam infirmitatem attinet, quæ in pia vita sentitur, liber Reformationis eadem docet. Ostendit enim hominibus, quàm corrupta & deprauata sit eorum natura, quàm nihil omnino inhabitet in carne eorum boni, quàm indefinenter omnes rerum cogitationes ad æternam eorum perniciem Deo repugnent. Eos verò qui verum animarum medicum Christum dominum, qui ipsos curandos in S. Baptismate suscepit, vera fidè amplectantur, eique obtemperant, ac morbidæ suæ naturæ concupiscentiis fortiter resistunt, in inchoata sanitate magis magisque confirmatum iri, donec tandem ab omnibus infirmitatibus & morbis soluti, plenam sanitatem, hoc est, cœlestem vitam, in quam nulla talis cadit infirmitas, consequantur. Quid aliud hæc doctrina potest, quàm homines ad Christum magis ac magis impellere, studiùmque in Christo Domino permanendi, & prauis cupiditatibus fortius resistendi, accendere & inflammare? Excogitet humana sapientia, si potest, aliam aliquam causam, propter quam hæc doctrina magis incitare possit homines eò vt in Christiana conuersatione negligentiores fiant, & perinde esse existiment, siue locum dent

dent prauis cupiditatibus: siue eisdem reluctantur. Et tamen audent Aduersarij scribere, hanc doctrinam non aliò spectare, quàm vt homines securi & negligentes reddantur. At quid perniciosius fingere aut excogitare potuissent, quàm perinde esse obsecundes concupiscentiæ; vel non? An non est bonum malum, & malum bonum, tenebras lucem, & tenebras facere?

Aduersarij docent, Non necessariò requiri, vt lex Dei diliges Dominum Deum tuum, &c. Item, Non concupisces, in hac vita perfectissimè adimpleatur. Et quamuis experiamur, in nobis magnam infirmitatem, & auersionem à Deo, quæ multas prauas cupiditates ac libidines excitat in cordibus nostris, eas tamen peccatum non esse, quamdiu illis non obsecundemus, ac cedamus locum. Annon hæc doctrina multò magis securos ac negligentes reddit, ad veterem Adamum in se ipsis mortificandum, ad prauis concupiscentiis incessanter resistendum, hoc est, ad crucifigendam carnem vnà cum cupiditatibus suis, quãdo audiunt; hos morbos, ac prauas inclinationes coram Deo peccatum non esse, dummodo illis non consentiant? Ad quam negligentiam augendam facit & hoc, quòd D. Augustinum cap. 36. lib. de Spiritu & litera, & aliis compluribus locis docentem adducunt. Nostro tempore præceptum non esse, vt Deum ex toto corde diligamus, &c. aut, Non concupisquamus, &c. Verum hoc loco idem designant in D. Augustinũ, quod antea quoque in Paulum, quem adduxerant, quasi affirmaret, Christũ Dominum exhibere sibi in S. Baptismo Ecclesiam suam gloriosam, & omni macula ac ruga carentem. D. Augustinus cum ostendere vult, quantum detrimentum natura nostra ex Originali peccato acceperit, contra magnum auxilium atq; solatiũ, quod Christus Dominus nobis impetrauit, & exhibet, dicere solet, Hæc duo mandata, Diliges Dominum Deum ex toto corde, & proximum sicut te ipsum, &c. Non concupisces, à nobis in hoc mũdo non impleri, sed primũ in futura vita adimpletũ iri. Christũ verò nobis impetrasse, vt imperfectio illa obediẽtiæ legis diuinæ nobis nõ imputetur. At nõ dicit, Deũ nõ perinde nobis hæc duo mãdata præcepisse, vt alia: aut nos non debere ex illis grauissimũ lapsum, ac horrendã naturæ nostræ corruptionẽ cognoscere & deplorare, tantoq; ardentius Christo Domino totos nos dedere, quẽadmodũ Liber Reformationis ex verbo Dei, ac D. Augustino docet. Enim verò Deus mãdata ista de perfecta charitate, tanquã præcipua omniũ mãdatorũ capita tradidit, testatusq; est, totã legẽ ac Prophetas ab illis pendere. *Cõcupiscentiã nõ nouisse*, inquit Paulus, *nisi lex dixisset, Nõ concupisces*. Quo dicto testatur, hoc præceptũ nostro seculo in eum finẽ esse datũ, vt nobis ostẽdat peccatũ esse, omne id, quod etiã sola cõcupiscentia admittitur. Quamuis hoc Dominus nobis imputare non vult ad condẽnationem, & omnibus, qui in Christo Iesu viuunt, & non secundum carnẽ, sed iuxta spiritũ ambulant. Rom. 8.

Sic igitur apparet, Librum Reformationis nihil aliud de reliquis adhuc in Baptizatis prauis concupiscentiis docere, quàm quod ipse Spiritus S. per Apostolum Paulum, & in aliis scriptis docuit, ac post ipsum verè Apostolicæ Ecclesiæ D. Augustinus.

In hac enim doctrina summa huius negotij continetur: Primum quòd Deus naturã hominis à principio creavit perfectam & integrã. Deinde quòd natura nostra per Originale peccatum miserè corrupta sit, & in horribilem auersionem à Deo prolapsa. Tertio quòd Christus Dominus nos liberauerit ab ista miseria per regenerationem, quam in S. Baptismate nobis communicat, & inchoat in cordibus nostris. Quarto, quòd Dominus in S. Baptismo ita nos ab omnibus peccatis mundet, vt nolit ea nobis ad reatum & condemnationem imputare. Quinto, Nihilominus peccatum, vt Apostolus appellat, malarum inclinationum, & rebellionis contra Deum in nobis manere, sed tamen per Spiritum Christi debilitatum & infirmatum esse. Sexto. Hoc peccatum, dum in Christo manemus, & non secundum cupiditates carnis, sed iuxta spiritum ambulamus, propter meritum Domini nostri Iesu Christi ad condemnationem nobis non imputari. Septimo, Omnes qui Christi sunt, debere huic peccato incessanter repugnare, magisque ac magis id crucifigere ac mortificare, atque ita veterem Adamum exuere, cum omnibus factis suis, nouum verò, qui est Christus induere: ad quod Christo Domino in Baptismate incorporati sumus, atque cum eo in mortem ipsius consepulti.

Cum igitur hoc modo Liber Reformationis innatam, & post Baptismum relictam infirmitatem & inobedientiam aggrauet, & acuat in hominum animis, nostramque rebellionem contra legem diuinam, quæ ex illo fomite mali promanat, manifestè ponat ob oculos, isque omnino iuxta verbum Dei, dici sanè cum veritate non potest, quòd vel diuinæ creationi, vel merito redemptionis facta per Dominum nostrum Iesum Christum, vel S. Baptismati, & acceptæ in eo gratiæ, vel aliquid detrahat ac derogat: aut quòd homines securos reddat, & in pugna contra prauas libidines & cupiditates, negligentiores. Quin potius docet rectè inspicere egregium opus diuinæ creationis in nobis, & pretiosæ redemptionis factæ per sanguinẽ Saluatoris nostri Iesu Christi. Ad quod homines magis impellit, ac incitat, vt acceptam in Baptismo gratiam rectè suscipiant, & in pugna contra carnem in dies fortius pergant, denique ad plenam victoriam confidentiùs contendant.

Cum impossibile sit, propter corruptionem ac cæcitatem nostræ naturæ, vt homines vel imaginem diuinam, ad quam ab initio creati fuerunt: vel gratiam ac meritum Christi, qui morte ac resurrectione sua ad hanc diuinam imaginem nos regenerauit, ac in dies magis instaurat: vel virtutem S. Baptismatis, in quo regenerationem ac spiritum istius nouæ regenerationis accepimus, vel denique necessitatẽ in Christo manendi, ac contra carnem & peccatum quod in ea inhabitat, indefinenter pugnandi, cognoscere ac intelligere possint, nisi optimè cognitum habeant, ac diligentissimè perpendant, quàm grauius per Originale peccatum, omnes potentia nostræ vulnerata sint, & quàm potenter adhuc in nobis inhabitet peccatum, denique quàm longè absumus, à perfecta obedientia, & mandatorum Dei adimplerione.

De